

- potissimum excipitur, quæ rei gerendæ aptior est. 188
- Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis. 193
- Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is preferendus est cujus in lucrum causa tempore præcedit. 189
- Quo tutela rediit, eo hæreditas pervenit, nisi cum femina hæredes intercedunt. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset. Vi factum id videtur esse, quæ de re quis, cum prohibetur, fecit clam, quod quisque, cum controversiam haberet, habiturusve se putaret, fecit. Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt ac si scripta non essent. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest. 188
- Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem. 192
- Regula est, quæ rem quæ est breviter enarrat. Non ut ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, et (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est, quæ, simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum. 185
- Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. 186
- Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit. 193
- Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. 188
- Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. 186
- Semper in stipulationibus, et in cæteris contractibus id sequimur quod actum est, aut si non appareat quid actum est, erit consequens ut id sequamur quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est. 187
- Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. Sed et si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione. 188
- Semper specialia generalibus insunt. 191
- Servitutem mortalitati fere comparamus. 194
- Servus reipublicæ causa abesse non potest. Ib.
- Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat, ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset. 187
- Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparant famosa judicia, etsi summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt. 189
- Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset, nihil nocere quominus et reus et fidejussor teneantur. Ib.
- Si nemo subiit hæreditatem, omnis vis testamenti solvitur. 193
- Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoverti. 190
- Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse. 193
- Totiens in hæredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur, non quotiens ex suo. 187
- Ubi cumque causæ cognitio est, ibi prætor desideratur. 189
- Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, et qui sexagesimo et primo die venerit audiendus est: ita enim et imperator Antoninus cum divo patre suo rescripsit. Ib.
- Ubi non voce, sed præsentia, opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem et respondere potest. Furiosus absentis loco est: et ita Pomponius libro primo epistolarum scribit. 190
- Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. 193
- Vani timoris justa excusatio non est. Ib.
- Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini. 186
- Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi ut utilem actionem, aut factum efficere possit. 187

## ANIMADVERSIONES ET DOCUMENTA

### QUÆ INTER ADNOTATIONES LOCUM NON INVENERUNT

#### ANIMADVERSIO I.

##### DE TITULO AD ORDINES REQUISITO.

Auctor noster, lib. I, tit. IX, § 3, n. 70 (vol. II, pag. 448) sic se habet: « Ad ordines minores non requiri titulum tenet communis doctorum sententia et praxis Ecclesie. Ratio est, quia clerici in minoribus constituti, si se clericaliter sustentare nequeant, libere possunt nubere aliaque negotia secularia exercere. Et hinc concilium Tridentinum prohibet solum ne quis sine titulo ad sacros ordines promoveatur. »

Giraldus tamen, *Expositio juris pontificii juxta recentiore Ecclesie disciplinam*, part. I, sect. 360, merito animadvertit ad decretalem *Non liceat*, cap. 2, de *Præb. et dignitatibus*, « quia statui clericali opprobriosum est quod etiam in minoribus ordinibus constituti mendicant, appellatione clericorum, in dicta decretali, tum in minoribus, cum in majoribus ordinibus constitutos non improprie contineri. Volunt doctores satis communiter cum Glossa hic sub statuto hujusce decretalis indistincte comprehendere omnes clericos; proindeque episcopus debere a principio, hoc est ante ordinationem, servare an etiam in minoribus ordinandi titulum habeant unde congrue vivere possint. »

« Etsi vero esset valde utile ac statui clericali indubie magis decorum hanc dispositionem ubique servare, quia tamen promoti ad non sacros possunt retrocedere, aliter quoad hos consuetudine introductum esse monet Panormitanus, et Ecclesia Romana non consuevit cogere episcopos nisi pro iis qui sunt in sacris ordinibus: quamvis hic Roma, die 25 februarii 1718, præceptum fuerit (facto prius verbo cum Sanctissimo) ac hætenus observatum ut de cætero nemo ex Romanis prima clericali tonsura initiatur, nisi prius per legitima documenta constet eum de patrimonio provisum esse, aut vere intervenire expectativam beneficii, vel capellanæ proxime obtinendæ, omni et qua-

cumque fraude remota, prout testatur Honorante in *Praxi secret. card. vicarii Urbis*, cap. 1, pag. 9, not. v.

« Et quamvis, juxta stylum et laudabilem consuetudinem almæ Urbis patrimonium debeat esse redditus scutorum sexaginta monetae romanæ pro sacris ordinibus, solet tamen ab Eminentissimo Vicario, facto itidem verbo cum Sanctissimo, pro prima tonsura admitti in minori summa, dummodo hæc triginta saltem scuta adæquet, ut ibidem notatur. »

Notandum insuper quod Pius PP. VI, per litteras apostolicas sub annulo Piscatoris motu proprio datas sub die 25 junii 1777, prohibuerit ne cui episcopus Melitensis primam tonsuram conferret nisi titulum sustentationis habenti. Quod decretum plane viget, ut videre est in *Collect. in usum S. Congr. episcop. et regularium*, Romæ 1863, pag. 910.

Quoad regulares, juvat hic referre declarationem sequentem:

« Beatissime Pater; archiepiscopus Mexicanus humillime exponit quod Sanctitas Vestra, decreto sacre Congregationis super statu regularium, die 19 martii 1857, præcepit ut novitii, jam sexdecim annorum, etiam expleto novitiatus anno ad normam Tridentini, non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissionem solemnium per triennium, si digni tunc reperti fuerint qui ad professionem admittantur, dammodo ultra vigesimum quintum annum eorundem ætatis non protrahatur. Ex expositis sequentia dubia suborta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime exposulat:

« I. Possuntne novitii, post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante constitutione *Romanus* S. Pii V, die 12 nov. anni 1568 in lucem edita?...

« Ex audientia Sanctissimi habita a D. Secretario S. Congr. super statu regularium sub die 20 ja-

nuarii 1860. Sanctissimus ad proposita dubia scribendum mandavit ut sequitur.

« Ad I. Negative quoad ordines sacros..... »  
(Collect. in usum S. C. episcop. et regular., pag. 909.)

Cf. Adnotationem I voluminis quinti.

Ad rem pertinet causa sequens :

« BRUGEN. tituli S. ordinationis. Anno 1845, episcopus Brugensis in Belgio supplicem porrexit libellum sa. me. Gregorio XVI exponens quod concilio Tridentini sancti, ne quis clericus ad ordines sacros promoveatur nisi vel beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium, seu pensionem vere possideat quod sibi ad vitam sustentandam satis sit, in Belgio usque ad gallicas perturbaciones integre custodita, difficilior servatu evasit postquam, suppressis injuria temporum Ecclesie collegiatis ac beneficiis simplicibus penitus extinctis, clerici ad ordines sacros assumendi plerumque bonis patrimonialibus destituti reperiantur. Etenim si paucissimos excipias, tertiam ad summum circiter ordinandorum partem, patrimonio sufficienti provisos, ceteri omnes vel patrimonium habent a parentibus cum assignatione omnium honorum confectum, licet partem hereditatis, quae caeteris filiis jure debetur, ipsis ita auferant; aut ex privata charitate obtinent titulum ordinationis, qui tamen nihil habet roboris et utilitatis, ideo quia in forma privata, ut plurimum, praebetur ne taxa major a fisco percipiatur, atque ita omni juris civilis presidio destituitur; vel si in forma authentica conficiatur, hoc in casu nec ullus clericorum deinceps titulum ordinationis ab aliquo benefactore reciperet, si una vice ad solvendo patrimonii fructus adigeretur. Unde nec raro accidit ut sustentationem vitae, quam pro infirma valetudine, aliave causa ex munere habere jam nequeunt, clerici ab episcopo ordinatore cum gravissimo mensae episcopalis onere percipere debeant.

« Cum igitur res ita se habeant, nec affulgeat spes melioris rerum conditionis, ideo pralaudatus episcopus aliquam pro sua dioecesi provisionem necessario inducendam judicans, nihil inconsulta Sede apostolica statuendum arbitratus, supplicem rogavit quatenus Sanctitas Sua « benigne dispensare dignetur in lege Ecclesiae quae exigit ut ex clericis saecularibus nullus ad sacros ordines promoveatur nisi vel beneficium, pensionem, vel patrimonium possideat quod ad honestam sustentationem sufficiat; sed hac conditione ut singuli ordinandi solvant semel ducentos francos, et insuper ut et hanc dispensationem pro pauperibus necessariam etiam extendere dignetur ad divites, tum propter uniformitatem, tum ut facilius scopus intentus obtineatur. » Hac novissima methodo sibi pollicebatur episcopus fore ut deinceps ex fructibus pecuniae, cura episcopis investimento collocandae, sustentationi clericorum, quatenus necessaria esset, provideretur.

« Datis ab hac S. Congregatione, die 18 augusti ejusdem anni, episcopo oratori litteris ea de causa

ut referret cur non magis expediat ut singuli ordinandi ab Apostolica Sede dispensationem obtineant super integra taxa patrimonii sacri, cum conditione tamen ut e seminario non egrediantur, nisi de idoneo beneficio, vel sufficienti titulo, vel saltem aliquo munere ecclesiastico sint provisus; supradictus antistes, mandatis obtemperans, renuntiavit eam esse dioecesis Brugensis praxim ut e seminario clerici non egrediantur, nisi aliquo munere ecclesiastico sint provisus, vel officio instruendae juventutis fungi debeant: postea vero plures ex ipsis, cum ex munere emolumenta exigua percipiant, nec patrimonium habeant unde sustententur, nec pensionem aliquam a gubernio accipiant, ideo, cum ob infirmitatem, aliave causa, munus exercere amplius nequeunt, tunc ad mensam episcopalem confugium habent unde sustententur. Ea in conditione versari tum vicarios parochorum cooperatores, tum clericos munus professoris in scholis publicis exercentes, tunc clericos interdum gravi morbo laborantes antequam ad sacerdotium promoveantur. Propterea episcopus iterum Sanctissimo supplicavit pro dispensatione patrimonii sacri, necnon pro novissime propositae methodi approbatione.

« Ex relatione autem nuntii apostolici cui, ut singulorum Belgii episcoporum sententiam de re hac exquireret, demandatum fuit, deprehenditur episcopos Gandavensem, Tornacensem et Leodiensem Brugensi adstipulari, etc... »

Legatur negotii totius expositio in ephemeride cui titulus: *Acta, ex iis excerpta quae apud S. Sedem geruntur, in compendium opportune redacta et illustrata*, Romae, typis polyglottae officinae S. C. de propaganda fide, fasciculo XLVI pro mense aprili 1869. Dubia sequentia tanquam solvenda proposita fuere:

« I. An sit concedendum episcopo oratori indultum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo ac sufficienti ordinationis titulo, ita ut sit approbanda institutio novae tituli ordinationis formae in casu? Et quatenus affirmative

« II. An permittenda sit insertio ejusdem novae formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis Romani in casu?

« RESPONSIO. S. Congregatio Concilii, die 24 augusti 1850, causa discussa respondere censuit:

« Ad I. Negative; et providebitur in casibus particularibus.

« Ad II. Provisum in primo. »

Qua ratione postea fuerit provisum patet ex sequenti rescripto dato ad instantiam ejusdem antistitis Brugesensis:

« Die 14 maii 1860. SS. Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii S. C. C. supra-scriptis episcopi oratoris precibus annuens, facultates necessarias et opportunas eidem episcopo benigne impertitus est ut cum aliis centum clericis a titulo sacrae ordinationis, ut ad sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive licite promoveri possint, pro suo arbitrio et conscientia,

dispensare valeat; ita tamen ut eos episcopus orator curet de aliquo beneficio vel ecclesiastico officio providere, aut saltem, meliori quo poterit modo, ad mentem S. concilii Tridentini, eorum sustentationi consulere ne cum ordinis dedecore mendicare teneantur. » (Acta quae apud S. Sedem, fascic. eodem.) Cf. A. mot. X volum. sexti.

## ANIMADVERSIO II.

DE RESIGNATIONE GRAVI METU INJUSTE EXTORTA.

Docet auctor noster, lib. I, tit. IX, § 1, n. 3 (vol. I, pag. 393), et ejusdem libri tit. XL, § 2, n. 30 (vol. II, pag. 145), coactam voluntatem esse voluntatem, ideoque resignationem beneficii gravi metu injuste extortam non esse ipso jure nullam, sed tantum per sententiam iudicis rescindendam. Hic audiendus est Giralduus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 364, qui sic loquitur:

« Petes an resignatio gravi injusto metu extorta sit ipso jure nulla? Negant Panormitanus et alii, si casum excipias clement. *Multorum* 2, § *Sane, De poenis*, quod nempe injusta laicorum detentione vel incarceratione beneficium quis cedere compulsus fuerit; in quo et ipsi concedunt resignationem ipso jure nullam esse, quia nullius omnino firmitatis esse ibi expresse decernitur, adeo ut non valeat, etiam quoad renuntiantem, ut ibidem exponit Glossa § *Nullus omnino*. Ratio quoad alios casus est, quia ex una parte coacta voluntas adhuc est voluntas, sicutque intervenit resignantis consensus, de jure adhuc sufficiens; ut patet cum quis renuntiat ob comminationem gravioris mali sibi juste factam. In utroque enim casu resignatio fit ex libera electione mali minoris ad declinandum majus, cum hoc solum discrimine quod, quando fit ob metum juste incussum, resignatio non est rescindibilis, bene vero cum fit ex metu injuste incusso. Ex alia parte nullibi in jure habetur quod resignatio taliter facta nulla sit, sed tantum quod carere debeat robore firmitatis, quod beneficium possit resignanti restitui et similia; quae duntaxat probant resignationem in hisce casibus posse rescindi ad instantiam resignantis, ad instar aliorum actuum, metu extortorum, qui in jure exceptionem non habent.

« Verum contraria sententia est huic nostrae decretali conformior, eamque expresse tenuit Rota Romana, decis. 212, num. 13, par. 16, et cum aliis pluribus Gonzalez in cap. *Ad audientiam*, 4, *De us quae vi*. Libertas enim ad resignationem manifeste requisita in decretali *Licet Bonifacii VIII, tit. De rerum permutatione*, est quid plus quam voluntarietas secundum quid, mere relicta in resignante ob gravem metum ipsi injuste incussum, qui propterea non dicitur proprie resignare ex libera electione, sed ex voluntario mixto cum involuntario. Nam resignatio ex electione, vere ac proprie libera, ea est quae fit cum voluntarietate simpliciter tali, absoluta et omnimoda,

cum nihil sit magis contrarium consensui libero quam metus. Hinc liberum, hoc est, verum omnino consensum exigit beneficii resignatio, Rota Rom. decis. 172, n. 22 et seqq. par. 16. Nec obstat paritas de resignatione ex gravi metu juste incusso; cum enim haec vi legis seu praeccepti fieri debeat, sive velit, sive nolit beneficiarius, non exigitur quod libere fiat, prout fieri debet in alio casu, ac sufficit voluntarietas secundum quid, in quo casu coacta voluntas adhuc est voluntas.

## ANIMADVERSIO III.

DE CLERICIS ORDINANDIS AB EXTRANEIS EPISCOPO.

« I. Ex praeccepto Tridentini, sess. XXIII de reform. cap. 3, episcopi per semetipsos debent ordines conferre, nisi fuerint aliquo impedimento detenti, quod concilium videtur restringere ad aegritudinem. « Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam jam probatos » et examinatos ad alium episcopum ordinandos » dimittant. » Caeterum quodlibet aliud legitimum impedimentum ad id sufficere declaravit S. ejusdem concilii congregatio in una *Calaguritana*, die 25 augusti 1592.

« II. Legitimum istud episcopi impedimentum requiritur, etsi ordinandi habeant titulum sufficientem, nec istis desit ullum requisitum, ad hoc ut possint ad alium episcopum dimitti.

« III. Mittendi sunt clerici cum dimissorialibus simul ac testimonialibus litteris de eorum vita ac morum probitate; quod nulla censura vel impedimento sint irretiti; quod fuerint examinati ac probati, hoc est idonei reperti; quo non obstante, episcopus ordinans potest eos iterum examinare, sed non tenetur, ut declaravit S. C. congregatio in *Verulana*, 17 jan. 1693.

« Et hic advertit quod si quis ex ordinandis absens fuerit per plures annos a loco proprii ordinarii, informatio de ejus vita et moribus habenda est a loco in quo fuit versatus, ut declaravit S. C. congregatio apud Gallemart ad sess. XXIII, cap. 8, n. 4. Et si ordinandi absentes fuerint, eorum examen committi poterit ordinario loci in quo illi degunt. S. C. C. apud citatum Gallemart ad sess. VII, cap. 11. » (Giralduus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 402).

Cf. Adnotationes XLVII, XLVIII et XLIV voluminis primi.

## ANIMADVERSIO IV.

DE RESIDENTIA CANONICORUM IN ECCLESIIS COLLEGIATIS NON INSIGNIBUS.

« Ex decreto congregationis concilii relato a Fagnano, ad cap. *Cum omnes, De constitut.* n. 31; approbato a Gregorio XIII, ad residentiam non tenentur canonici collegiatarum non insignium, si consuetudo non residendi sit immemorabilis.

» Quæres tamen an hæc exceptio collegiarum non insignium sit intelligenda de canonicis collegiarum ruralium, an vero etiam de urbanis. Respondendum ex decreto præfate congregationis, juxta Fagnanum ibid. sed postea probato a Gregorio XIII, esse intelligendam de canonicis collegiarum non insignium, etiam in urbibus existentium.

» Et sane refert Eminentiss. Petra, tom. IV ad *Constit.* VII Innocentii IV, sect. II, n. 30, quod S. congregatio Visitationis Apostolicæ, in causa collegiæ civitatis Lavinie, declaravit die 28 aug. 1704 non sustineri decretum visitatoris apostolici, cogens canonicos ad diurnam officianturam, sed quod servaretur solitum, quod erat de inseriendo tantum diebus festivis, licet alioquin canonici haberent pingues redditus. Curatas tamen excipe, et eas in quibus aliqui de canonicis residere consueverunt, in his enim parochus, aut qui residere soliti sunt, id facere debent, etiam in non insignibus collegiis ruralibus, ut recte advertit Fagnanus, loc. cit., n. 32, ex S. C. decretis. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 2.)

## ANIMADVERSIO V.

## DE STATUTIS CAPITULARIBUS TEMPUS ABSENTIÆ ULTRA TRIMESTRE INDULGENTIBUS.

« Quæres an, si per Sedem Apostolicam alicubi confirmatum fuerit statutum, indulgens canonicis majus tempus absentie cum facultate percipiendi integros fructus præbendæ, eisdem abesse liceat ultra tres menses, ac integros fructus, non obstante majori absentia, percipere? Respondendum cum distinctione. Vel ista confirmatio facta est in forma specifica, et in hoc casu dico licere hujusmodi absentiam cum integra perceptione fructuum præbendæ. Vel facta est in pura forma communi, et tunc dico neutrum eisdem licere.

» Ratio primæ partis est, quia confirmatio facta in forma specifica aliquid tribuit de novo. Cum enim fit alicujus statuti confirmatio a principe ex certa scientia, cum præcedenti causæ cognitione, ac examine omnium ejus circumstantiarum, de eoque constat, eo quia in ipsamet apostolica confirmatione habetur insertus tenor statuti aut substantialis ejus narratio, vel saltem exprimitur illud fuisse examinatum ac mature consideratum, et in ipsa appositæ est clausula *ex certa scientia* (quod proprie est confirmare in forma specifica) tunc hujusmodi confirmatio vim habet novæ concessionis, firmantis id quod alias invalidum est, ut explicat Rota Romana apud Far. dec. 513, n. 6, p. 2, et tradit Glossa in cap. 5, *De confirmat. utili vel inutili*; istaque clausula *ex certa scientia* æquivaleret in casu illi clausulæ derogatoriæ *non obstante* etc. ut post Panormit. ac Ric. advertit Donatus in *Prax. rer. reg.* tract. XI, part. 2, n. 10. Propterea S. C. C. plures declaravit statuta taliter confirmata a Sede Apostolica in suo robore permansisse, non obstante

conciliari sanctione cap. 12 de reform. sess. XXIV, testibus Fagnano, Garcia, ac Vetroelia apud Scarfantonium ac Ceccoper. lib. II, tit. 12, n. 5.

» Ratio postea secundæ partis est, quia confirmatio in sola forma communi nihil de novo tribuit, cum non sit nova concessio sed mera firmatio rei confirmatæ in eisdem terminis ac eodem statu in quo erat ante confirmationem, ut innumeris pene vicibus decedit laudata Rota et cum omnibus canonistis tradit Abbas in cap. *Cum dilecta*, cit. tit. *De confirmat.* ac Donatus, præd. quæst. 2. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 2.)

Cf. Adnotationem XXVI voluminis tertii.

## ANIMADVERSIO VI.

## DE CONSANGUINEIS EPISCOPI AD BENEFICIA NON ADMITTENDIS.

Sub hoc titulo existat Adnotatio LI, in volumine tertio. His quæ inibi dicuntur addendum quod prohibitio Piana, ex declaratione Gregorii XIII, non habet locum in resignationibus beneficiorum juris-patronatus. Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 72.

## ANIMADVERSIO VII.

## QUID INTELLIGENDUM PER RES EXIGUI VALORIS UBI AGITUR DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM?

Auctor noster, lib. III, tit. XIII, § II, n. 38, vol. quarto pag. 106, docet solemnitates ibi narratas non requiri in alienatione rerum ecclesiasticarum, quando agitur de rebus exigui valoris et sic prosequitur: « Quænam dicatur res exigui valoris? Cum id jure definitum non sit, est relinquendum judicis arbitrio qui, consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ et loci consuetudine, æstimabit et judicabit an hujusmodi res sit modica necne... »

Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 444, ulterius progreditur, his terminis scilicet: « Si autem quæras quæ dicantur res exiguæ vel modici valoris, ex decreto S. C. episcop. et regular. in *Favent.* 22 martii 1711, relato a Petra, ex stylo curiæ dicuntur quæ non excedunt summam viginti quinque scutorum aureorum, hoc est scutorum quadraginta unum cum obulis viginti quinque monete romanæ. Quamvis autem congregatio concilii, teste Fagnano in cap. *Nulli*, tit. *De reb. Eccl. non alien.* usque ad annum 1612 auxerit nihil circa hanc valoris summam statuere, sed deducendam esse ex jure communi, in una tamen *Messanen.*, 29 nov. 1613, et *Baren.* 12 april. 1692, declaravit posse episcopum concedere facultatem alienandi usque ad dicta viginti quinque aurea scuta. Neo ultra dictam summam alienatio, facta ab ordinario, sustinetur, ut declaravit dicta congregatio in una *Pap.* 25 maii 1710. Neque suffragatur consuetudo,

## ANIMADVERSIO X

## CUJUS NATURÆ SIT SUSPENSIO A TRIDENTINO LATA CONTRA SACERDOTE M SPONSOS SINE ILLORUM PAROCHI LICENTIA CONJUNGENTEM AUT BENEDICENTEM?

Adeatur primum auctor noster, lib. IV, tit. III, § II, n. 115 (volum. V, pag. 416); dein audiatur Giraldus, ibi: « Cum autem hæc suspensio sit absolute prolata, eademque oratione complectatur Tridentinum tam parochum alienum quam alium quemcumque sacerdotem, sive regularem sive sæcularem; cumque cæteroquin suspensio sic absolute prolata intelligenda sit juxta omnes canonistas ab officio solum, aut ab officio et beneficio simul, quæri hic posset a quo suspensus esset sacerdos, tam sæcularis et regularis, in hoc delinquens, carens tam officio quam beneficio.

» Huic dubio satis apte, meo videre, respondit Sanchez, *Tract. de Cens.* disput. XXXI, sect. III, § VI, n. 18, sentiens neque parochum alienum, neque sacerdotem beneficiatum in hoc delinquentem suspensum esse ab officio et respectivo beneficio, sed ab officio sacerdotali, eo pari modo quo suspensus dici deberet simplex sacerdos, tam sæcularis quam regularis. « Non est verisimile, sunt » ejus verba, voluisse concilium suspendere illos » sacerdotes ab omni officio et beneficio, ut verbum » illud simpliciter prolatum indicare videtur, tum » quia peccatum illud non apparet dignum tanta » pœna, tum etiam quia illa pœna indifferenter fertur » in parochos et sacerdotes simplices, tam regulares quam sæculares, et ita videtur solum agi de » suspensione communi omnibus illis. Censeo igitur » illam esse suspensionem ab officio sacerdotali » quia, juxta canonum intelligentiam, ex materia » subjecta determinatur pœna, ut in eo quis puniatur in quo deliquit. »

» Quamvis circa hoc idem dubium hæreat Sayrus in *The. cas. conc.* lib. IX, cap. xv, n. 9, sentiatque expetendam esse declarationem a congregatione concilii, ibi: « Secundo observandum est » non exprimi, neque ex antecedentibus vel consequentibus colligi posse a qua re sit ista suspensio. Mihi probabile videtur, tanquam mitius, satis » esse intelligere quod suspensus sit ab officio, » præsertim cum suspensio ista propter usurpationem alieni officii lata sit, de qua re consulenda » est declaratio a congregatione cardinalium qui » super concilio Tridentino ejusque dubiis interpretandis præficiuntur: interim tamen tutius est » ut se tam a beneficio quam ab officio suspensum se » credat. »

» Quidquid tamen sit de hujus auctoris opinione, crederem non esse recedendum a sententia Sanchez, aptante æqualem pœnam æquali delinquentium delicto. A qua suspensione absolvere posse resolvit etiam vicarium generalem, lib. III, disput. LII, n. 4, et disput. XLVIII, n. 7.

« Cum concilium utatur verbo *ausus fuerit*, affirmat ab illius incurso excusare ignorantiam, dom-

ut ex aliis ejusdem congregationis decretis relatis a dicto Petra, a quo solide reprobat abusus et dolus quo res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus concedi posse ab episcopis dicitur, cum id fieret in fraudem legis. »

Notandum quod regulares, quantumcumque exempti, in hujusmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia et decreto ordinarii; Giraldus ibid. citans decretum congregationis concilii jussu Urbani VIII editum, et *Institut.* LXIX Benedicti XIV.

## ANIMADVERSIO VIII.

## CALIX DE NOVO INAURATUS NOVA INDIGET CONSECRATIONE.

Animadvertendum quod auctor noster, lib. I, tit. XVI, n. 32, vol. I, pag. 494, expresse doceat calicem consecratum, si postea deauretur, nova indigere consecratione; et lib. III, tit. XL, § II, n. 46, vol. V, pag. 166, non minus expresse doceat neque calicem, neque patenam execrari, nec nova consecratione indigere, si de novo inaurantur. Immerito a sua priori sententia recessit, ut omnes hodie fatentur.

## ANIMADVERSIO IX.

## AN LICEAT CLERICIS POSSIDERE ACTIONES, UT AIUNT, VIARUM FERRATARUM ET ALIAS HUIUSMODI?

Sub Adnotatione XXXVI voluminis tertii docuimus non esse vetitum clericis possidere actiones viarum ferratarum et alias hujusmodi, hoc in loco vestigiis inherentes D. Bouix qui aliunde sententiam suam judicio Sanctæ Sedis humiliter subjicit, *Revue des sciences eccl.* t. II, pag. 444. Porro, in *Analect. jur. pont.* fasciculo 86, deprehendimus sequentem decisionem. Coram sacra congregatione Sancti Officii fuit agitatum dubium illud: « Utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere? Die 1 aprilis 1857, Sanctissimus concecit facultates episcopis communicandas per S. congregationem episcoporum et regularium permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones viarum ferrearum de propria pecunia tantum. » Unde concludendum occurrit I. Quod episcopi non habeant jure proprio facultatem permittendi viris ecclesiasticis possessionem prædictarum actionum; II. Quod viri ecclesiastici teneantur impetrare licentiam ab ordinario, indulto apostolico, ut supponitur, gaudente; III. Quod responsio de qua agitur nullimode faveat regularibus, qui conditioni appositæ, scilicet *de propria pecunia tantum*, satisfacere nequeunt; IV. Tandem, quod eadem non suffragatur seminariis, collegiis, monasteriis, ecclesiarum fabricis, aliisque pns locis, quia in illa de *personis ecclesiasticis* tantum verbum habetur.